

specie & quantitate simul, expensæ factæ in re vel specie diminuunt ipso jure dotem in pecunia vel quantitate; si verò in specie tantum, non diminuunt ipso jure, sed fundus vel res potest retineri loco pignoris, donec sibi fiat solutio: Utiles verò potest recuperare, si sint factæ de consensu & voluntate uxoris, vel sit ita dives, quòd possit commodè solvere: Voluptarias verò non repetit, sed potest mulier auferre sine notabili detrimento rei & mutatione prioris status: text. est in leg. 1. & per totum. ff. de Impen. in res dot. fac. & ibi Bartol. Alb. Angel. & communiter DD. & ista est totius tituli brevis summa & resolutio, text. in leg. unic. §. Sed nec ob impensas, Cod. de Rei uxor. actio. & ibi etiam communiter DD. & idem disponit l. fin. tit. 1. r. part. 4. Et quid, si uxor vel alius pro ea dedit nomina debitorum in dotem, an sumptus vel expensæ factæ in debito exigendo repetantur ab uxore? vide singulariter Bart. Alber. Angel. DD. in dict. l. 1.

52 Postremò & finaliter quæro, an & quando dos confessata probet receptionem dotis, & habeat eadem privilegia, quæ habet ipsa dos verè & realiter recepta & numerata? In quo articulo breviter & resolutivè dico, quòd non: imò soluto matrimonio, potest opponi per maritum vel ejus hæredes exceptio non numeratæ dotis, & mulier vel hæredes ejus tenentur probare veram & realem traditionem vel numerationem; aliàs non valet nec probat confessio, modò sit facta coram testibus, modò in scriptura privata, modò in publica: text. est in leg. 1. & per totum. Cod. de Dote cauta non num. Quam exceptionem maritus vel ejus hæres debet proponere infra annum à tempore soluti matrimonii computandum: text. est in leg. final. versicul. final. eodem titul. cujus verba sunt: Ita tamen ut intra annum tantum continuum à morte mariti, vel mulieris, vel missione repudii computandum, ea licentia detur. Hodiè tamen de jure novo Authenticor. istud habet locum quando infra biennium solvitur matrimonium post confessionem dotis: si verò ultra biennium, infra decimum annum solvatur à prædicto tempore confessionis, debet prædicta exceptio proponi infra solos tres menses: si verò post decem annos à tempore confessionis dotis solvatur matrimonium, nullo modò nec tempore potest proponi prædicta exceptio; præterquam si maritus vel hæres ejus sit minor 25. annor. quia potest restitui adversus lapsum temporis: text. est in Authentic. quod locum, eodem titul. cujus verba sunt: Quod locum habet si intra biennium solvatur matrimonium, si autem ultra biennium usque ad decimum annum extendatur, & ipsi marito & hæ-

redi ejus intra tres menses querela permittitur: sed si decennium transcurrerit, omnino querela denegatur permessa restitutione in integrum præfinita, & specialiter si minor ætas interveniat, & ista est vera & realis dispositio & resolutio illius tituli, quam sub brevibus comprehendit; & ita tenent & declarant ibi Azor. Odofred. Cin. Bartol. Alberic. Bald. Angel. Salycet. Faber. & communiter DD. Et ratio, per quam talis confessio non præjudicat marito, sed potest opponere prædictam exceptionem, est duplex. Prima, quia cum non habeat uxorem in sua potestate, præsumitur confiteri, ut eam citius & facilius habeat. Secunda, puta præsumitur confiteri, ut videatur liberalis uxori & consanguineis ejus: Et istas rationes ponit Roman. in leg. Si constante matrimon. ff. Solut. matrimon. antepenult. column. num. 44. Quod extendit, etiamsi cum talis confessione interveniat juramentum: argumento text. in leg. fin. Cod. de non num. pecun. junct. text. in leg. In contractibus, §. fin. versic. fin. eodem titul.

Quod tamen limita & intellige sequentibus modis: & notabiliter primò: nisi in instrumento publico tabellio vel notarius dicat & asserat numerationem factam in sui presentia: quia tunc standum est instrumento publico, quia non deponit nec asserit de sola confessione, sed etiam de numeratione: ita Gloss. ordinaria Bart. & communiter DD. in dict. leg. fin. Cod. de Donation. caus. Secundò limita, præterquam si maritus renuntiavit prædictæ exceptioni non numeratæ dotis: quia tunc non potest opponi: ita etiam Gloss. ordinaria Bartol. & communiter DD. in dict. leg. fin. idem Bartol. & communiter DD. in leg. Assiduis, Cod. Qui pot. in pig. hab. Sed adde, quòd ista sententia, & conclusio est vera & procedit, quando talis renuntiatio est facta ex intervallo: secùs si incontinenti in eodem instrumento; quia eadem facilitate qua inductus est ad confitendum, inducitur ad renuntiandum: argumento doctrinæ Bartol. & communis in leg. Si ex cautione, §. De non num. pecun. ubi ista distinctio fit in renuntiatione exceptionis non num. pecun. & in expressò in nostro casu ita tenet Angel. in §. Fuerat, Instit. de action. 11. column. num. 15. & ibi Jas. 15. column. num. 80. Bald. Novell. in tract. Dot. 10. part. quest. 1. column. 2. versic. Sed tu pro veritate distingue. Et confirmatur, quia istæ exceptiones æquiparantur, ut in leg. Contractibus, §. fin. versic. fin. Cod. de Non num. pecun. Hodiè tamen, cum exceptio non numeratæ pecuniæ possit renuntiari, ut expressè disponit lex 9. in fin. titul. 1. part. 5. & dixi in contractu mutui; sequitur, quòd etiam ista exceptio non numeratæ dotis poterit renun-

tiari in instrumento publico, etiam incontinenti. (2) Tertio limita, quando maritus confessus est se recepisse dotem ab uxore, vel ejus patre; secùs verò si ab aliquo extraneo: ita singulariter Jas. in dict. §. Fuerat, 17. column. num. 89. referens Salycet. in Authentic. sed jam necesse, Codic. de Donation. ante nupt. qui hoc non dicit; nec hoc dictum credo verum, quia text. in dict. leg. 1. per totum, Codic. de Dote caut. non numer. & ejus ratio militat etiam in isto casu, Quarto limita, quando reperitur sola confessio dotis receptæ sine aliqua promissione præcedente: secùs verò si præcessisset promissio dotis, & postea sequatur confessio dotis receptæ; quia tunc valet & tenet, & perfectè probat sine obstaculo alicujus exceptionis: text. est singularis & unicus in leg. In contractibus, §. Sed quoniam, versicul. Illis etiam, Codic. de Non numer. pecun. & ad hoc notant & commendant Petr. Cin. & communiter alii DD. ibi: Joan. Andr. in Addit. ad Specul. de rub. de donation. inter virum & uxorem in fin. Paul. de Castr. in leg. 1. ff. Solut. matrimon. fin. column. versicul. Quartus est, & ibi Socin. 13. column. in fin. Ludovic. Roman. in leg. Si constante, eodem titul. antepenult. column. num. 44. Quintò limita, nisi confessio dotis receptæ fuerit geminata ex intervallo; quia tunc prædicta exceptio non potest opponi: argumento text. junctâ sententia Bartol. & communis in l. Cum scimus, Cod. de Agric. & cen. lib. 11. ubi probatur & colligitur talis doctrina & conclusio, quòd ubi non præjudicat confessio ex defectu præsumptæ voluntatis, valet & tenet, si fuerit geminata: & in expressò in nostro casu ita tenet Abb. Panorm. in cap. Si cautio, de fide instrum. fin. column. & quest. & ibi Felin. 20. column. num. 82. & ante eos ita voluit Gloss. ordinaria in dict. leg. In contractibus, §. Sed quoniam, versic. Illis, Cod. de Non num. pecun. in gloss. fin. & ibi DD.

Sextò limita & intellige respectu ipsius mariti, & hæredum ejus: secùs verò respectu creditorum ejus; quia nullo tempore præscribitur talis exceptio, imò perpetuò potest opponi: ita probat text. in leg. penultim. Codic. de Non numer. pecun. ubi habetur, quòd sicut debitor, qui confessus est spe futuræ numerationis, potest opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, vel dotis; ita creditores ejus, etiamsi debitor prædicta exceptione numquam usus est: & in expressò ita tenet Cin. in Authentic. sed jam necesse, Cod. de Donation. ante nupt. final. quest. & ibi Salycet. final. column. &

quest. Angel. de Aretin. in §. Fuerat, Instit. de action. 11. column. versicul. Vel etiam clarus, & ibi latius quàm alibi Jas. 14. column. n. 73. qui prosequitur articulum per 4. column. Sed contrarium est tenendum, imò quòd renuntiatio exceptionis expressè facta per maritum, vel tacitè per lapsum temporis à jure dati ad opponendum, præjudicat creditoribus sicut ipsi marito debitori principali: quia cum competat ex actu vel persona ejus, non possunt uti nisi cum illa qualitate & natura ipsi exceptioni à jure attributa: argumento text. in leg. Pomponius, §. Cum quis, ff. de Acquir. possess. & in terminis ita probat text. in leg. penultim. maxime in finalib. verb. licet primi DD. pro se induxerint. Nec obstat text. ille in quantum dicit, quòd creditores possint opponere prædictam exceptionem, licet debitor ea numquam usus sit: Quia debet intelligi intra sua tempora. Nec obstat etiamsi dicatur, quòd jus vel exceptio competens alicui ex contractu vel persona alterius, non potest ab eo auferri sine ejus facto & voluntate, ut in leg. fin. ff. de Pactis, cum similib. Quia respondeo, quòd in nostro casu, quando maritus à principio renuntiavit exceptioni in ipso contractu vel confessione, præsupposito quòd valeat renuntiatio, numquam incepit competere creditoribus; quia renuntiatio resistit nativitati ejus: & ad hoc subtiliter pondero text. in dict. leg. penultim. in princ. in quantum dicit, si cui non numeratæ pecuniæ competere possit exceptio, etiam eo super sedente tali auxilio uti vel presentes, vel absentes creditores ejus possint: Ergo dat intelligere, quòd si aliquo casu non competit prædicta exceptio debitori, non competit etiam creditoribus ejus. Item etiam, quando maritus non renuntiavit exceptioni, sed labitur tempus eam opponendi, jam ipsi creditores culpa & negligentia suâ excluduntur, non verò facto & voluntate alterius: & in expressò, licet certè nemo sic declaret, ita tenent Angel. Salycet. & Raph. Fulgos. in dict. leg. penult. Cod. de Non num. pecun. & tenet magistraliter Bart. in leg. Assiduis, Cod. Qui pot. in pig. hab. 2. column. penultim. quest. ubi dicit, quòd dos confessata non habet privilegia dotis, quando non est renuntiata exceptioni, vel sumus intra tempora data & concessa ad opponendum eam; & ita intelligatur Gloss. notabilis ibi posita: sed, exceptione renuntiata, vel per lapsum temporis præscripta, vel omissa, bene habet omnia privilegia dotis, tanquam si verè & realiter fuisset soluta & numerata: & ibi sequitur Angel. de Perus. 2. column. & numer. 2. Sa-

(2) Vide Costam in Reper. ex cautione ante primam limitationem, fol. 72. & 73.

Salyc. *fin. column. & quest. 8.* & Raph. Fulgos. 2. *column. in medio.* Paul. de Castr. *in leg. Si marito. ff. Solut. matrim.* Alexand. *in leg. 1. eodem titul. 9. column. numer. 35.* Socin. 15. *column. versic. final. 3. conclus. fit, & seq. column. versicul. 2. limita.* Bald. Novell. *latè & notabiliter in tract. Dotis, 10. part. principali, 1. quest. per plures, column.* Joan. Campeg. *in tract. Dot. 1. part. 93. quest.* & ita debet intelligi Gloss. notabilis & ordinaria & communis opinio *in leg. fin. Codic. de Dote caus. non num.* & ista videtur communis opinio.

Unum tamen est, quòd hoc deberet intelligi, quando creditores scirent de confessione dotis facta per maritum: secùs si ignorarent; quia possent restitui ex clausula generali: argumento text. juncta doctrina Bartol. & communi, *in l. 1. §. Si quis autem propter. ff. de liti. actuque privat. & in terminis ita tenet Alexand. in dict. l. 1. ff. Solut. matrim.* & ibi Socin. 17. *column. vers. Illud autem.* Jason. *in dict. §. Fuerat, Instit. de actio. 16. column. num. 84.* licet contrarium tenet Bald. Novell. *in dict. tract. Dotis, 10. part. principal. 1. quest. versicul. Secundus casus principalis, num. 12.* Item & 2. hoc debet intelligi, quando prædicti creditores habent hypothecas tacitas; secùs verò si expressas: nam si eo casu quo verè constat de dote recepta, non præferatur ejus mulier, ut supra dictum est; à fortiori, quando tantum constat de dote confessata per maritum. Item & tertio intellige, quando confessio mariti emanavit ante matrimonium: secùs verò si constante matrimonio, & illo tempore maritus opprimeretur ære alieno; quia tunc ex his duobus, scilicet, quòd emanavit confessio constante matrimonio, & erat pauper & oppressus debitorum pondere, præsumeretur facta in fraudem creditorum, argumento textus notabilis juncta Gloss. ordinaria & communi opinione *in Authentic. sed jam necesse, Cod. de Donat. ante nupt.* & in expressò ita tenet Bald. Novell. ubi supra, quem vide.

Item quæro, an causa dotis proposita in judicio sit summaria & privilegiata? Et breviter dico quòd sic, & in ea debet judex procedere summarie, & dilationes & terminos abbreviare, ut celeriter & sine dilatione expediatur: argumento text. cum materia *in leg. 2. ff. de Re jud. & in expressò ita tenet Gloss. notabilis & ordinaria in l. 1. ff. Solut. matrim. in gloss. 2. in fin. & ibi Bart. 2. column. num. 6.* & communiter Modern. Bald. & Scribentes *in leg. fin. Codic. de Sent. que sine certa quant. prof. idem Bald. in l. unic. Cod. de Privilegio dotis, & ibi alii DD. Bald. Novell. in tract. Dotis, 9. part. 22. privil. pro qua sententia & conclusione facit text. in Clem. dispendiosam, de judiciis, &*

ibi communis doctrina Doctorum.

53 Item quæro, an causa dotis sit mixti fori? Et dicendum est quòd sic; quia potest cognoscere Judex Laicus, & Ecclesiasticus, & est locus præventioni: ita probat text. *in capit. de Prudentia, de donat. inter vir. & uxor.* ubi aperte probatur, quòd Judex Ecclesiasticus cognovit de causa dotis: text. *in cap. Nuper, eod. tit. text. in cap. Ex litteris, de pignor. & in expressò ita tenet Innocent. in dict. cap. de Prudentia, & ibi Hostiens. Joan. Andr. Card. Abb. & magis communiter DD. tenet etiam Joan. de Imol. in l. 1. ff. Solut. matrim. 1. col. & ibi alii DD. idem Imol. & communiter DD. in cap. Ex litteris, de pignor. Bald. Novell. in tract. Dotis, 9. part. 16. privileg. & istam dicit communem opinionem Felin. *in cap. Licet, de foro competent. 2. col.* Quod est verum & procedit, quando incidenter ageretur de causa dotis; quia principaliter tractatur de causa matrimonii; nam tunc incidenter posset Judex Ecclesiasticus cognoscere de causa dotis: & ita propriè debent intelligi prædicta jura: & facit text. *in cap. Tuam, de ordin. cognit. & in l. Quoties, Cod. de Judiciis: secùs verò, si principaliter ageretur pro dote; quia tunc causa est merè secularis, & non posset cognoscere Judex Ecclesiasticus, sed Judex Laicus: ut in toto titulo. ff. & Cod. Solut. matrim. & ff. de Jure dotium, & in expressò ita tenet & declarat Gloss. ordinaria *in dict. capit. de Prudentia, & ibi Anton. de Butr. Anchar. Præp. & communiter alii DD. Angel. de Perus. in l. 1. ff. Solut. matrim. fin. column. & ibi alii DD. Bald. in l. In contractibus, §. fin. Cod. de Non num. pecun. Jas. in Authent. quod locum, ff. & Cod. Collat. 6. col. num. 10.* & istam dicit communem opinionem Felin. *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut. 19. column. n. 58.* Et licet primi DD. loquantur etiam quando principaliter agitur de causa dotis; tamen ista secunda opinio videtur mihi pura veritas & tenenda in judicando & consulendo: Nec etiam placet distinctio aliquorum DD. in locis ubi supra dicentium, quòd prima opinio procedat quando vidua agit pro dote, soluto matrimonio; quia est miserabilis persona, argumento textus & eorum quæ ibi notantur *in cap. Significantibus, de officio delegati: secùs verò quando mulier ageret, constante matrimonio, propter inopiam viri, vel divortio facto. Quia imò indistinctè teneo, quòd nullo casu possit Judex Ecclesiasticus principaliter cognoscere de causa dotis.***

54 Item quæro, an à sententia lata in causa dotis possit appellari? Et videtur dicendum, quòd si sit lata contra mulierem petentem dotem, habeat locum appellatio; si verò favore ejus, non possit maritus vel ejus hæres appellare: argumen-

mento textus *in leg. final. ff. de Appellat. recip. ubi habetur, quòd in his quæ non recipiunt dilationem, non potest appellari: Ex quo infert ibi Din. Bartol. & alii DD. quòd in causa alimentorum, quæ petuntur officio judicis in casu inopie, non appellatur. Idem Bartol. in leg. Mella. ff. de Aliment. & cibor. legat. Specul. in titul. de Appellat. §. In quibus, versic. 8.* Ergo sic dicamus in causa dotis, quòd in ea non habeat locum appellatio: imò quòd magis est, hoc habeat locum & procedat etiam quando maritus petit dotem contra socerum vel extraneum, & sit lata pro eo sententia, & est inops, & non habeat unde se alat: ita singulariter tenet Bald. Novell. *in tract. Dotis, 9. part. 7. special. & 2. part. quest. 23.* quod summè notat & commendat Palac. Rub. *in sua Repet. fol. 64. column. 3. versic. Advertè, ubi dicit, quòd illud dictum non est alibi. Unum tamen est, quòd Palac. Rub. ubi supra modificat & intelligit isto modo: quòd appellatio sit permissa, sed interim & statim lata sententia possit executioni mandari, tam pro dote, quam pro alimentis, & teneatur restituere, si sententia revocetur; & argumento textus *in leg. Si instituta, §. penultim. 4. de Inoffic. testam.* Sed indistinctè ego teneo contrarium, imò quòd non possit denegari appellatio, modò sententia sit lata pro muliere, modò pro marito, modò pro alio: quia lege aliqua non probatur superior conclusio, & regulariter quilibet potest appellare, nisi lege prohibeatur: & in terminis ita probat textus *in leg. final. Cod. de Sent. que sine certa quant. prof. & ibi tenet Bald. & alii DD. nec similiter interim fiat executio, eadem ratione. Item, quia nihil est innovandum appellatione pendente. Item etiam, quia si recipiens esset pauper & consumeret bona, & postea revocetur sententia, non haberet unde solveret, & parùm prodesset victoria.**

55 Item quæro, si matrimonium inter conjuges est prohibitum, ut inter consanguineos, an mulier possit repetere dotem, & qua actione? In quo articulo magistraliter & resolutivè dico, quòd si contraxerunt scienter, uxor non potest repetere dotem, nec maritus donationem propter nuptias, vel quid aliud quod ex causa matrimonii inter eos invicem datum sit: imò auferatur ab ipso recipiente & applicatur fisco: text. *est in leg. Incestæ. ff. de Ritu nuptiarum, cujus verba sunt: Incestæ nuptiæ nec dotem habent, & idè omne quòd perceptum est, licet fructuum nomine auferatur, text. in leg. Qui contra. Cod. de Incestis nuptiis, cujus verba sunt: Qui contra legum præcepta, vel contra mandata constitutionesque principum nuptias forte contraxerit, nihil ex eodem matrimonio, sive ante nuptias donatum,*

sive deinceps quoquomodo datum fuerit, consequitur: idque totum quod ab alterius liberalitate in alterum processerit, ut indigno, indignève sublatum, fisco vindicari sancimus: text. *in leg. 2. versic. 1. ff. de His quibus ut indignis: textus in leg. Cum hic status. §. final. ff. de Donat. inter virum & uxorem, & utrobique communiter DD.* Postea verò augetur pœna isto casu de jure Authenticorum, quia in utroque conjugate inducitur confiscatio bonorum, si non habent filios ex alio matrimonio: Item etiam imponitur auxilium, & privatio dignitatis, & pœna flagellorum, si est vilis persona; textus *est in Authentic. de incestis nupt. §. 1. collat. 2. textus in Authentic. incestas. Cod. de Incestis nuptiis, & idem disponit lex 3. titul. 18. part. 7.* Quod semper intellige, quando uterque contraxit scienter, ut dictum est; secùs verò si ignoranter. Item intellige, quando est sequuta copula: secùs verò aliàs; quia tunc nullam pœnam patitur, licet dos non repetatur propria actione de dote, sed conditione sine causa, ut *in leg. final. ff. de Condit. sine caus. & in leg. 1. Cod. de Condit. ob caus.* Si verò unus eorum contraxit scienter, alter verò ignoranter, & est secuta copula, vel illud, quòd traditum est, remanet apud recipientem: si verò non est secuta copula, ille qui dedit potest repetere, non propria actione, sed conditione sine causa: ita probant prædicta jura, & tenet Glossa ordinaria *in dicta leg. Qui contra, & ibi communiter DD.* Et prædicta procedunt & habent locum in dote, vel donatione propter nuptias, vel illo quòd est datum ex causa matrimonii: secùs verò, si fiat inter eos donatio simplex; quia tunc, si fiat inter scientes, non valet, nec morte confirmatur, sed applicatur fisco, secuta copula, vel non: si verò fiat inter ignorantem, repetit ille qui dedit: si verò donator est sciens, & recipiens ignorans, & sequatur copula, remanet penes recipientem; si verò non sequatur copula, repetit fisco: ita probat textus *in leg. Cum hic status. §. final. ff. de Donat. inter vir. & uxor. textus in leg. Si ex voluntate. Cod. eodem titul. textus in leg. final. ff. de leg. 1. textus in leg. 3. Cod. Solut. matrim.* Glossa ordinaria & communiter DD. *in cap. Et si necesse, de donat. inter vir. & uxor. & tradit latè Bald. Novell. in tractat. Dotis, 11. part. princip.* Quid autem de fructibus? an cedant lucro recipientis, vel dantis, vel fisci? vide ibi Bald. Novell. *in Prædicta. 11. part. versicul. Decimum quartum membrum est.*

56 Item consecutivè circa prædicta quæro, eo casu quo matrimonium est nullum, & uterque fuit ignorans, vel uxor tantum, an soluto matrimonio morte vel divortio, dos putativa habeat pri-

privilegia dotis veræ? Et magistraliter & resolutivè dico, quòd si privilegia respiciunt contractum, actionem, vel ipsam dotem, regulariter mulier habet eadem privilegia pro dote putativa, quæ haberet pro dote vera. Ex quo primò inferò, quòd conditio ob causam, vel sine causa, quæ competit ad dotem repetendam, est privilegiata, ut præferatur in ea omnibus aliis creditoribus, sicut tacita & ficta stipulatio est privilegiata in dote vera: textus est in leg. 2. §. final. ff. de Privil. credit. & ibi Glossa ordinaria, Bartol. Alberic. Angel. Raph. Cuman. & communiter DD. textus in leg. Si sponsa. ff. de Jure dot. & ibi communiter DD. Secundò infero, quòd dos putativa habet tacitam hypothecam & privilegiatam, ut præferatur cæteris creditoribus etiam anterioribus, sicut dos vera: quia militat eadem ratio, ut mulier inveniat cui postea nubere possit: ita tenet Glossa ordinaria in dicta lege 2. §. final. ff. de Privil. credit. & ibi communiter DD. Glossa ordinaria in leg. Assiduis. Cod. Qui potior. in pignor. habeantur, in glossa magna, final. quæst. & ibi Cin. 7. quæst. Bald. Salycet. & communiter DD. Glossa ordinaria: in leg. Sponsa. ff. de Jure dotium, & ibi DD. Bart. & communiter DD. in leg. Si cum dotem. §. fin. ff. Solutio matrimonio. Tertio infero, quòd dos putativa consistens in rebus immobilibus non possit alienari, sicut vera dos: ita tenet Glossa notabilis ordinaria in leg. Dotale. §. Dotale. ff. de Fundo dotali: in verb. Præstatur, & ibi Bald. Salycet. & communiter DD. Quarto infero, quòd in casibus, in quibus ex forma legis vel statuti instrumentum veræ dotis mandatur executioni, ita mandabitur instrumentum dotis putativæ: ita Bald. in leg. 1. Cod. de Condit. ob caus. in fin. & ibi Salycet. & alii DD. Quintò infero, quòd in casibus, in quibus res empta ex pecunia veræ dotis efficitur dotalis, ut in leg. Ex pecunia. Cod. de Jure dotium, & in leg. Si ex ea pecunia. Cod. de Rei vind. & in leg. Si ut proponis, eodem titul. ita res empta ex pecunia dotis putativæ: ita probat textus in leg. Si cum dotem. §. fin. ff. Solutio matrimon. Sextò infero, quòd sicut titulus veræ dotis sufficit ad præscribendum ad utilitatem uxoris, quando datur res aliena, ut in leg. Pomponius. §. In dote. ff. de Acquir. posses. & in leg. 1. & per totum. ff. de Usucapione pro dot. ita titulus dotis putativæ: ita probat textus in leg. Proculus. ff. de Jure dotium, & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. Et alia privilegia, quibus conveniunt dos vera & putativa, vide per Bald. Novell. in dict. tract. fol. 68. in part. hætenus expeditum est, &c. ubi ponit 20. privilegia & Joan. Campeg. quæst. 97.

Si verò privilegia respiciunt jus, virtutem,

& effectus provenientes ab ipso matrimonio, non dantur neque competunt quando matrimonium est putativum. Ex quo primò infero, quòd inter conjuges putativos, deficiente agnatione & cognatione, non habet locum successio abintestato, sed succedit fiscus: ita probat textus in leg. 1. ff. Unde vir. & uxor. cujus verba sunt: Ut bonorum possessio peti possit, unde vir. & uxor. justum esse matrimonium oportet: ceterum si injustum fuerit matrimonium, nequaquam bonorum possessio peti poterit, & ibi notant Dinus, Alberic. & communiter DD. Antiqui. Secundò infero, quòd licet donatio inter virum & uxorem facta constante matrimonio, confirmetur morte donantis, ut in leg. Papinianus, & per totum. 4. de Donat. inter virum & uxorem, & in leg. Donationes quas parentes. Cod. eodem titul. tamen donatio facta constante matrimonio putativo, non confirmatur: textus est singularis in leg. Cum hic status. §. Si quis sponsam. ff. de Donat. inter virum & uxorem, quem ad hoc notant & commendant DD. ibi: & reputat singularem Bald. in leg. Eam quam. Cod. de Fidei-commis. 6. column. num. 22. Jacob. de Sanct. Georg. in leg. 3. ff. de Jure dotium, in fin. text. in leg. Si ex voluntate. Cod. de Donat. inter virum, & uxor. & ibi notant & commendant Bald. Salycet. & communiter DD. Tertio inferitur, quòd licet sponsalitia largitas in totum quærat sponse per copulam, & medietas per osculum, ut in leg. Cum veterum, & in leg. Si a sponso. Cod. de Donat. ante nupt. & in leg. 52. bis. II. Tauri, tamen debet intelligi, quando matrimonium inter eos potuit de jure valere: secus verò aliàs; quia nihil querit recipiens, sed totum debet reddere: ita tenet Glossa singularis & ordinaria in dicta leg. Si a sponso, & ibi Salycet. & communiter alii DD. Quarto infero, quòd maritus putativus non lucratur fructus dotis tanquam verus maritus, sed tanquam bonæ fidei possessor: Ex quo deducitur & inferitur, quòd tantum lucrabitur eos, quos consumpsit in oneribus matrimonii, & sic usque ad concurrentem quantitatem: ita probat textus in leg. Insulam. §. Fructus. ff. Solutio matrimonio, & ibi communiter DD. Paul. & alii in leg. Divortio. §. Impendia, eodem titul. Alexand. & Modern. in leg. Si cum dotem. §. final. eodem titul. Quintò infero, quòd maritus putativus tenetur & potest conveniri ultra quod facere possit, argumento textus in cap. 1. de Donat. inter virum & uxor. per quem ita tenet Alexand. in leg. Maritum. ff. Solutio matrimonio. 1. column. idem Alexand. in leg. Si cum dotem. §. final. eodem titul. 1. column. in fin. Paul. & Imol. in leg. Divortio. §. Impendia, eodem titul. Sextò infero, quòd maritus putativus

non poterit accusare adulterum jure mariti: text. est in l. Si uxor. §. Divus. ff. de Adulter. text. in l. Marito, §. fin. eodem titul. Ex quo deducitur & inferitur, quòd non poterit adulteros occidere, etiam repertos in fragranti crimine, nec lucratur dotem propter adulterium: ita probant prædicta jura, & tenet Gloss. singularis & ordinaria in l. Consensu. §. Vir. quoque, Cod. de Repud. licet contrarium disponit hodiè lex 81. infra II. Taur. Septimò infero, quòd maritus putativus non gaudebit dilatione legali concessa pro restitutione dotis: Gloss. est notabilis & ordinaria in leg. 1. §. Exacti, Cod. de Rei uxor. action. & ibi DD. & tenet Alexand. in dict. l. Si cum dotem, §. fin. Solut. matrimon. Octavò infero, quòd licet soluto matrimonio non detur actio furti famosa contra uxorem, in honorem transacti matrimonii, ut in l. 1. & per tot. ff. Rerum amot. tamen secus est in matrimonio putativo: text. est in l. Si in concubina, eodem titul. & ibi DD. Nondò infero, quòd licet resolutio vero matrimonio, statim ipso jure transeat dominium rerum dotialium in uxorem, ut in leg. In rebus, Cod. de Jure dotium, tamen secus est in matrimonio putativo; quia non transit, sed tantum datur conditio ob causam, ut in leg. final. ff. de Cond. sine causa, in leg. 1. Cod. de Cond. ob causam, & ibi DD. Et istas & alias differentias usque ad 23. vide per Bald. Novell. in dicto tract. fol. 71. in parte, sequitur tertium membrum, & Joan. de Campeg. in 1. part. quæst. 97.

Ex quibus utiliter & necessariò quæro, an data ignorantia in utroque conjugue, vel uno tantum legitimentur filii nati ex matrimonio putativo? Et breviter dico quòd sic: text. est singularis in cap. Ex tenore, qui filii sint legitimi, & notatur per DD. in l. Qui in provincia. §. Divus. ff. de Rit. nupt. ubi vide.

Item etiam quæro, an quemadmodum de jure regio communicantur lucra acquisita, constante vero matrimonio inter conjuges, ita eodem modo communicentur, quando matrimonium est putativum? Et breviter dico quòd sic, argumento text. in cap. 2. de Donat. inter virum & uxorem, & ibi tenet Abb. & communiter DD. & tenet notabiliter Palac. Rub. in sua Repet. fol. 19. & 39.

Item principaliter quæro, an res dotalis possit alienari per maritum, vel uxorem, vel utrosque, constante matrimonio? Et breviter & resolutivè dico quòd non: text. est in l. 1. & per tot. Cod. de Fundo dotal. text. in leg. 1. & per tot. Cod. de Rei uxor. action. textus in §. 1. & per tot. Institut. quib. al. lic. vel non: Quod est verum & procedit, nisi mulier jura-

vit; secus tamen si interveniat juramentum: quia tunc valet & tenet contractus & alienatio: text. est in cap. Cum contingat, de jurejurand. text. in cap. Licet mulieres eodem titul. lib. 6. Pulchrum tamen dubium est, si talis res vel fundus dotalis sit alienatus cum juramento, an possit uxor petere pretium à marito vel hæredibus ejus? Et breviter & resolutivè dico, quòd si sola uxor de licentia mariti alienavit, & ipsa sola recepit pretium, non potest aliquid petere à marito vel hæredibus ejus: si verò maritus solus alienavit de licentia uxoris & cum juramento ejus, ipse solus tenetur, quia solus contraxit: si verò maritus & uxor simul contraxerunt & venderunt, & uxor juravit, videtur quòd maritus solum teneatur ad dimidiam partem prætii; argumento text. in l. Reos. §. Cum in tabulis. ff. de duobus reis cum similib. & in terminis ita tenet Bartol. in Consil. suis, consil. 124. sed contrarium est verius, imò quòd hoc casu maritus teneatur ad totum pretium, quia ad eum præsumitur pervenisse, argumento text. & eorum quæ ibi notantur in Authent. si que mulier, Cod. ad Vellejan. & in expressò ita tenet singulariter Joan. de Imol. in l. Cum vir. ff. de Usucap. antepenult. column. versic. Item advertit. Idem Joan. de Imol. in cap. Cum contingat, de jurejurand. 16. column. numer. 26. Confirmatur ex sententia Cin. Angel. & aliorum in l. Si cum dotem. §. Transgrediamur. ff. Solut. matrimon. qui dicunt, quòd si pater & filius recipiunt dotem, tenetur pater, quia ad eum præsumitur pervenire tanquam administratorem.

Item quæro, si mulier primò juravit non vendere res dotales, nec alienationi consentire, & postea vendit & jurat, an talis contractus valeat & firmetur juramento? Et videtur quòd non; quia quando semel est præstitum juramentum, secundum reputatur illicitum, & non valet: argumento text. in cap. Ea te, & in cap. Intellecto, de jurejurand. & ibi tenent Innocent. Abb. & communiter DD. & in expressò isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet Gloss. singularis & ordinaria in cap. Licet mulieres de jurejurand. lib. 6. & ibi Joan. Andr. Archi. Domin. Anchar. Philip. Franc. & communiter DD. Hostiens. in cap. Cum contingat, de jurejurand. final. column. versic. Quid si minor. vel mulier. Specul. in titul. de Emption. & vendit. §. Tertio loco, versic. Et nota generale consilium. Bartol. in l. Si quis pro eo. ff. de Fidejuss. 4. column. num. 9. versic. Pro hoc induco. & ibi Paul. de Castr. 2. column. in fin. idem Bartol. in l. Si prædium, Cod. de Jure dot. idem Bartol. in l. Is cui bonis. ff. de Verbor. obligat. fin. column. in fin.